A. XX. 4. 4

GEBHARDI THEODORI MEIERI

Doctoris Theologi

TRACTATUS *DE* LEGIBUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

HELMESTADI,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
Anno M DC XCI.

I. N. D. N. J. C. A!

DE

LEGIBUS EARUMQVE DIFFERENTIIS

§. I.

DE Legibus earumque differentiis univerſe, in Theologorum, JCtorum & Philoſophorum ſcholis agitur. Nec tamen deſunt, qui ut omnem civilem ita & legislatoriam prudentiam à Politico Chriſtiano in Repub!. Chriſtiana apte exerceri & leges dextre, habito reſpectu ad ultimum, ad quem Deus homines condidit, & cujus cauſa reſpublicæ ab ipſo ſunt inſtitutæ, finem, tractari non poſſe, ſtatuunt, niſi è Theologia, ſeu rectius à Scriptura Sacra ſubinde, aliquid præſidii mutuetur. Non traditur quidem in Scriptura Dei nova doctrina civilis, aut prudentia leges ferendi & interpretandi: ſed ea, quam natura rerum civilium ſubminiſtravit, quamque recta ratio ſcrutando inde obſervavit, ita explicatur & ad negotia memorabilia, ab ipſo etiam Deo, adhibetur, ut neſciri iſta ſine incommodo nequeant ab erudito Juriſconſulto & Philoſopho.

§. 2. Nos ex utroque, Scripturæ & Naturæ, libro doctrinam de Legibus repetemus, ſumto inde initio, unde omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, pro-

ficiſci debet. Ejus cauſa iſta Ciceronis ex primo de Legibus adſcribimus: *Arbitrantur prudentiam eſſe legem, cujus ea vis ſit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere; eamq; rem illi græco putant nomine, à ſuum cuiq; tribuendo appellatam, ego noſtro à legendo: nam ut illi æquitatis, ſic nos delectus vim in lege ponimus; & proprium tamen utrumq; legis eſt. Quod ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumq; videri ſolet* &c. An vocula Lex inter derivativas ſit referenda, & an à legendo propterea quod in lege vis ſit delectus, recte dicatur, ut Ciceroni videtur, quem ſequitur Auguſtinus in lib. quæſt. Vet. & Nov. Teſtamenti, diſquirant alii.

§. 3. Notandæ potius hic quædam ejus ſignificationes, præſertim quod multos errores pepererit æquivocatio vocabuli Legis non recte diſtincta, Chemnitio in Locis, Jacobo Gothofredo in ſuo Ulpiano & Gaſſendo in Philoſophia Morali, obſervantibus. Generaliſſime legis nomine venit omne id quod neceſſitat, quod efficacia ſua ad aliquid movet & impellit, atque inſtar legis aliquem ſollicitat. Ita etiam religio nomine legis ſignificatur non modo apud externos Scriptores, verum etiam in Scripturis, in quibus Dei Verbum ſeu doctrina omnis à Deo profecta lex, & ut plurimum cum appoſito Lex Dei audit. Ammianus Marcellinus, Hiſtoricus Gentilis, religionem Chriſtianam legem ſimpliciter appellat, *libro XV Rerum Geſtarum*, ubi hæreſes per abhorrentia à propoſito legis deſcribit. *Intendebantur*, inquit, *ei*, Athanaſio, *alia quoque à propoſito legis abhorrentia, cui præſidebat.* Idem paulo ante eadem pagina Liberium Chriſtianæ legis Antiſtitem notat. Et paſſim in Conſtitutionibus Principum, quas Codex Theodoſianus continet, & partim in Annalibus Cardinalis Baronii atque à Juſtiniano, in ſuo Cadice repetitas legimus, Religio Chriſtiana, Lex

Catho-

Catholica, Lex Chriſtiana, Lex Sanctiſſima, Lex Superna, Lex Venerabilis & veneranda dicitur. Adſcribimus tantum Legem primam de Hæret. 16. t. 5. quæ eſt Conſtantini Imp. qua privilegia, quæ contemplatione religionis indulta ſunt, *Catholicæ* tantum *legis* obſervationibus prodeſſe oportere; hæreticis autem atque ſchiſmaticis competere non poſſe, ſancivit. *Baronius ad an. 326. num. 15.* Videatur hic Euſebius *lib. 10. Hiſt. Eccl. c. 7.* & Sozomenus *lib. 1. cap. 9.* Nil æque neceſſitat ac religio. Etenim vera religio quoad ſubſtantiam in totum eſt juris divini tum naturalis tum poſitivi, imo eſt lex legum. Inde ille ſignificatus.

§. 4. In Scripturis divinam religionem dici legem vel ex Pſ. 1. ℣. 2. Pſ. 19. ℣. 8. & 9. Pſ. 119. ℣. 70, 77, 92, 97, 113, 126, 150, 163, 165, 174 patet. Ubi meminiſſe juvat, in Saxonicis Veteribus Bibliorum verſionibus nomen legis exprimi per vocem Ee / ehe. Ut in Pſ. 1. v. 2. Wann ſein Wille iſt in der Ee des HErrn / und in ſeiner Ee betrachte er Tags und Nachtes. Pſ. 119. ℣. 18 Opene myne Ogen unde ich ſchal mercken die Wunder van dyner Ee. Sic Chriſten Ee h. e. Chriſtiana religio. Et, die alte Ee pro lege Moſaica, Sachſiſch Weichbild in pr. da ward den Juden die Ehe gegeben am 50. Tage nach dem Ausgang aus Egypten. Inde nomen vulgo etiam uſitatum Eehafften / quod legitima impedimenta ſignificat. Et illegitime ſeminatos Comes Palatinus dicitur legitimare h. e. Eelich / non, ut vulgus loquitur, Ehrlich machen. Addimus haud forſan inutiliter, tria nomina Judæis eſſe admodum grata, nomen Jehovæ, nomen Abrahami & nomen legis, & hinc eſſe quod Apoſtolus ubi poteſt, legis voce, etiam in ſignificatu tralatitio, utatur, atque, ut B. Calixtus loquitur, μιμητικῶς vocabulum legis ingeminet.

§. 5. Præterea id omne lex dici ſolet, quod vim legis

 gis

gis habet, licet lex vel non ſit, vel ſaltem non appelletur. Dubio autem procul, quod lex non eſt, legis autem vim habet, id inde eſt, quod tale quid lege proprie dicta nitatur, veluti pacta privatorum, de quibus ſuo loco. Et quod lex eſt nec tamen nomine legis appellatur, id ita prudenter aut callide fieri & factum videmus. Ita in Republica Romana SenatusConſulta leges revera erant, nec tamen dicebantur, ſingulari ſtratagemate politico. Aliud etiam eſt, leges univerſe, aliud, juxta diſciplinam rerumpublicarum, conſiderare, ex. gr. Hebræorum, Græcorum, Romanorum, aliorumve populorum & rerumpublicarum. Apud Romanos leges contradiſtinguebantur SenatusConſultis, Plebiſcitis, Edictis, Mandatis, Reſcriptis Principum &c. quæ differentiæ ex Rerum Romanarum Hiſtoria exponi debent.

§. 6. Notionem juris qui ignorat, legis notitiam habere haud poteſt. Acturis propterea de legibus de jure eſt præfandum. Et quamvis accurate loquendo lex & jus differant, cum jus lege contineatur atque adeo jus ſit objectum internum legis, ſeu ſit norma agendi lege præſcripta, cui actiones noſtras veluti objectum legis externum conformari neceſſe eſt, nihilominus quia juris & legis vocabula promiſcue vulgo & ſapientibus uſurpari videmus, etiam nos in ſequentibus nunc juris, nunc legis nomine, prout commodum nobis viſum fuerit, utemur. Ne vero eo ipſo quempiam offendamus, paucis homonymiam juris ante omnia enodare lubet. Juris ſignificationes quamplurimas notant Doctores, præcipue Albertus Bolognetus in ſcripti ſui de lege, jure & æquitate capite decimo quinto, quas de ejus charta in hanc papyrum tranſcribere nullum operæ pretium putamus. Jus *primo* idem eſt quod juſtum, quod juſta actio. Auguſtinus lib. 19. de

Civit.

Civit. Dei cap. 21. ex hypotheſi quadam diſputans: an unquam fuerit Romana Reſpublica? fundamenti loco ſupponit, *Ubi*, inquiens, *juſtitia vera non eſt, nec jus poteſt eſſe. Quod enim jure fit, profectò juſte fit. Quod autem fit injuſte, nec jure fieri poteſt. Non enim jura dicenda ſunt vel putanda iniqua hominum conſtituta: cum illud etiam ipſi jus eſſe dicant, quod de juſtitiæ fonte manavit.*

§. 7. Quia vero inter juſtum & injuſtum datur medium, non injuſtum, nec ex quavis negatione honeſti & juſti, etiam poſitis iisdem circumſtantiis, ſequitur inhoneſtum & injuſtum, idcirco uti honeſtum ita juſtum quid bifariam dicitur, vel in ſenſu ajente, vel in ſenſu negante. In ſenſu ajente juſtum ſtricte accipitur, & denotat id quod lege continetur. Ita juſtum non tantum injuſto ſed & non injuſto contradiſtinguitur, quomodo forſan nullum bellum eſt habendum juſtum. In negante autem ſenſu omne id juſtum dicitur, quod eſt non injuſtum ſeu quod lege non eſt prohibitum. Et hæc poſterior acceptio eſt communior, & praxi accommodatior.

§. 8. Cum, porro, jus nullum extra ſocietatem locum habeat, idcirco & ipſum & ipſius fundamentum proxime in ſocietatis, cujus eſt jus, natura & fine eſt quærendum. Duo autem ſunt genera Societatum, aliæ æqualitatis, rectius æqualium perſonarum, aliæ inæqualitatis, rectius inæqualium perſonarum, ideo ſatis recte Hugo Grotius duplex jus eſſe dicit, aliud Æquatorium, aliud Rectorium. Non autem ſine ratione correxi linguam Moraliſtarum: nam æqualitas conſociat, inæqualitas diſſociat. Ut ſit ſocietas & maneat inter inæquales perſonas facit æqualitas, mater omnis juſti, uti omne injuſtum in quadam inæqualitate fundatur. Inæqualibus inæqualia non minus æqualiter, quam æqualibus æqualia æqualiter debentur, ut alibi ex

feſſo docuimus. Nomine vero Juris Rectorii non facultatem regendi, quomodo ad ſecundam juris ſignificationem pertineret, ſed quid Superiores & Inferiores ſibi invicem debeant, intelligimus. Aliud eſt, quid alter in alterum poſſit, & aliud quid alter alteri debeat. Miramur etiam eſſe, qui hicà Grotio jus amicitiæ cum jure ſimplici confundi dicant. Quaſi vero jus aliquod proprie dictum vel fingi poſſet, quod non eſſet jus amicitiæ. Societas, Amicitia & Jus ſe mutuo ponunt & tollunt, idemque habent fundamentum. Nec Amicitia abſque jure, nec jus abſque amicitia eſſe poteſt, id quod in Analyſi Ethicorum Ariſtotelis demonſtratum legitur. Eſt autem amicitiæ magna latitudo, uti & juris atque ſocietatis.

§. 9. Deinde ut juſtum ita & jus vel in ſe & ſua natura, vel ex hypotheſi, tale eſt. Quod juſtum modo eſt ex hypotheſi, extra hypotheſin ſaltem non juſtum eſt, & quod in ſe non eſt juſtum, ex hypotheſi ſæpe fit juſtum. Quamvis aliquid & in ſe & ex hypotheſi juſtum, injuſtum vel non juſtum eſſe poſſit, uti alibi diſtincte pluribus declaravimus. Denique quemadmodum juſtum ita & jus alio reſpectu duplex eſt, vel juſtitia univerſali, vel juſtitia particulari. Illius obligatio imperfecta, hujus perfecta eſſe dicitur. Secundum diſciplinam autem Chriſtianorum æqualis utriusque eſt obligatio, extra caſum concurrentiæ legum. Philoſophus libro V. Ethicor. Nicom. cap. ultimo neminem ſeipſum injuria afficere poſſe demonſtrans diſtincte rem agit atque docet, neque injuria ſecundum injuſtitiam univerſalem, neque injuria ſecundum injuſtitiam particularem poſſe id fieri. Quotuplex eſt injuria, totuplex ex oppoſito eſt jus. Ergo jus aliud erit ſecundum juſtitiam univerſalem, aliud jus ſecundum particularem. Jus propterea primo ſignificatu tam late patet, quam late

patet

patet virtus & leges. Econtra injuria iſto ſignificatu eo usque ſe extendit, quousque vitia omnia & legum prævaricationes.

§. 10. Secundo jus refertur ad perſonam, & dicitur H. Grotio Qualitas moralis perſonæ competens ad aliquid juſte habendum vel agendum. Sequitur Vir magni nominis hic, ut alias, Moraliſtas, præcipue Hiſpanos, Dialecticos agentes. Franciſcus Suarez in Tractatu de Legibus & Deo Legislatore libro primo cap. 2. Jus iſto ſignificatu dicit vocari facultatem quandam moralem, quam unusquisque habet, vel circa rem ſuam, vel ad rem ſibi debitam: ſic enim dominus rei dicitur habere jus in re, & operarius dicitur habere jus ad ſtipendium, ratione cujus dicitur dignus mercede ſua. Et hæc ſignificatio vocis hujus frequens eſt non ſolum in jure, ſed etiam in Scriptura. In ea legimus dixiſſe Abrahamum ad filios Heth: Date mihi jus ſepulchri *Geneſ. 23. ℣. 4.* de Jacobo quando diſceſſit à ſocero ſuo dicitur tuliſſe ſecum omnia, quæ juris ſui erant. *Geneſ. 31. ℣. 18.* Atque hoc modo ſumi videtur jus in *l. Juſtitia ff. de Juſtitia & Jure* cum dicitur juſtitia eſſe virtus, quæ jus ſuum unicuique tribuit. Intelligimus autem per ſuum cujusque jus, tum quo res alterius jam eſt, tum quo quid alteri ab altero debetur. Quorum diverſitatem exprimunt Doctores diſtinctione juris in *Jus in re* & *Jus ad rem.* Vocant autem *Jus in re*, id quo res ipſa alteri devincta eſt, id eſt, quo res ita alterius eſt, ut ubicunque inventa fuerit, vindicare eam poſſit: *Jus ad rem*, id quo una perſona alteri ad aliquid præſtandum obligata eſt. Jam quot modis Jus dicitur, totidem & injuriam alicui fieri poſſe, per ſe manifeſtum eſt. Una injuria cum jure in re pugnat, ut cum quis rem alterius, puta quæ jure dominii, vel hereditatis, vel quocunque alio jure alterius eſt, detinet,

net, & jus in eam affectat. Altera juri ad rem adverſatur, ut ſi quis id, ad quod alteri obſtrictus eſt, non præſtet, aut ad id præſtandum ſe neget obſtrictum eſſe.

§. 11. Qualitatem, porro, moralem perſonæ competentem Hugo Grotius aliam dicit eſſe perfectam, quam Facultatem appellat, aliam minus perfectam, quam Aptitudinem dicit, quibus reſpondere exiſtimat in naturalibus, illi quidem actum, huic autem potentiam. Dubitamus autem an iſta omnia recte ſe habeant, cum facultas aut aptitudo nemini pariat jus, quomodo igitur jus poteſt vel eſſe vel dici facultas aut aptitudo. Jus perſonæ competens rectius dicitur poteſtas, ἐξουσία non δύναμις. Qualitatis nomen eſt nimis generale, nec convenienter regulis definiendi hic adhibetur. Qualitatem perſonæ competere non negamus, ſed jus perſonæ qualitate definire, haud rectum putamus. Sed pergamus cum Grotio: Diſtinguit ille jus, ut perſonæ attribuitur, in Poteſtatem, Dominum, & Creditum. Poteſtatem quis habet vel in ſe, nempe qui ſui eſt juris nec alterius poteſtati ſubeſt, vel in alios; illa Libertatis, hæc imperii venit nomine. Dominium proprie habemus in res, non perſonas, eſtque vel vulgare ſeu commune, vel eminens. Singula mererentur aliquem commentarium, noſtri autem laboris jam non eſt iſtum ſcribere. Denique tertio jus ſumitur pro lege, atque ita ordine accedimus ad doctrinam de legibus, quam tractare inſtituebamus, deque iis nunc ex profeſſo agimus.

§. 12. Et primo quidem de earum origine, quam oſtendere conatur Tacitus libro tertio annali his verbis: *Vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoq; ſine pœna aut coercitionibus agebant, neq; præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſt-*

poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, multosq; apud populos; æternum manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquam Regum pertæſum, leges maluerunt &c. Fallitur Tacitus non uno modo. Quæ vitæ ratio, qui mores vetuſtiſſimorum fuerint mortalium, ignoravit Tacitus, deſtitutus hiſtoria primævæ antiquitatis, cum externa hiſtoriâ ſit ἀκέφαλον. Deinde nulla hæc eſt conſequentia, vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coercitionibus agebant. Et apud eos, qui ſunt integri vitæ, ſceleriſque puri, leges locum inveniunt, imo eſſe debent. Nec poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes & leges. Non hæc eſt origo atque cauſa Imperiorum & legum, quamvis & Seneca Epiſt. XC. ſcribat: *Poſtquam, ſurrepentibus vitiis, in tyrannidem regna verſa ſunt, opus eſſe cæpit legibus, quas & ipſas inter initia tulere ſapientes.*

§. 13. Cum Tacito faciunt, qui dicunt, legibus hodie opus eſt, quia prout ſunt tempora & mores hominum hodierni, nemo amplius ſua ſponte, quod bonum eſt, perpetrat: ideo legis, tanquam virtutis armatæ, poteſtate detinendi ſunt in officio. Sed non hodie modo, verum omni tempore, omni in ſocietate, & quovis vitæ parte, etiam quando & ubi homines ſponte ſuum faciunt officium, legibus opus eſt, adeo ut etiam in ſtatu integritatis leges obtinuiſſent, tum naturales tum arbitrariæ. Falſum enim eſt quod vulgo dicitur: Malitia peperit leges, ita ut absque malitia ſi eſſemus, legibus opus non eſſet. Eſt homo liberum agens, ita tamen ut ejus voluntas ſit Superiorum voluntati ſubordinata, qui eam nunc ampliare nunc reſtringere ac circumſcribere poſſunt, idque ita exigente utilitate atque neceſſitate omnium & ſingulorum, unde

legum neceſſitas. Præterea humanarum rerum ea eſt conditio, ut etiam optimis quibusvis aliquid præſcribendum & in Republica atque Eccleſia conſtituendum ſit à prudentibus rerumpublicarum & Eccleſiarum curatoribus. Licet quivis ſua ſponte faceret officium eſſetque absque omni malitia, nondum tamen ſtatim quivis videre posſet, quid è re Reipublicæ & Eccleſiæ ſit agendum, vel omittendum, paratus quamvis talia præſcribentem ſequi.

§. 14. Dextre proinde exponi aut prorſus negligi debent iſta Juſtini: *Principio rerum populus nullis legibus tenebatur*: Antiqui in Hiſtoria ſine legibus vixiſſe dicuntur, id quod de legibus ſcriptis eſt intelligendum. Majores noſtri nullas leges ſcriptas obſervarunt, *plus apud eos valebant boni mores, quàm alibi bonæ leges*, elogio Taciti. Caruerunt autem legibus ſcriptis, quod vel literarum uſum ignorarint, vel quod ſuperiores eo ipſo majorem ſibi vellent conceſſam auctoritatem, dum pro arbitrio ſententias ferrent. Nullus non populus habuit ſuas leges, quæ eſt earum in omni ſocietate, ſive ætatem, ſive ſexum, ſive ſtatum & conditionem vitæ hominum reſpicias, neceſſitas, quam diſtincte eleganterque deducit Philoſophus libro X. Ethic. Nicom. cap. ultimo. *Quemadmodum perfectum optimum omnium animalium homo eſt: ſic ſecretum à lege ac juſtitia, peſſimum omnium*, accurate docet idem Philoſophus lib. 1. Politic. cap. 2do. Unde quando Hiſtorici, Barbaras quasdam Gentes ſine legibus vixiſſe, referunt, eo ipſo cauſam barbariei indicare voluerunt, nempe quod caruerint legibus. Nec etiam Paulus ſcribens ad Romanos cap. 2. verba nos offendunt. *Quicunque ſine lege peccaverunt, ſine lege quoque peribunt: & quicunque in lege peccaverunt, per legem damnabuntur. — Gentes quæ*

legem

legem non habent, natura quæ legis ſunt faciunt, iſti legem non habentes ſibi ipſi ſunt lex: Ut qui oſtendat opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, una teſtimonium reddente ipſorum conſcientia & cogitationibus ſeſe mutuo accuſantibus, aut etiam defendentibus. Non ſimpliciter illa Apoſtoli verba eſſe accipienda, quivis facile videt, an autem univerſe ſcriptam legem in mente habuerit Paulus, quemadmodum ſupra Juſtinus & alii, quando antiquiſſimos mortalium ſine lege vixiſſe referunt, valde dubitamus. Eſt Gentium periphraſis & epitheton, legem non habere, ſicut Judæorum, legem habere. Factus ſum Judæis, quaſi Judæus, ut Judæos lucrifaciam: iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſim ſub lege, ut eos qui ſub lege ſunt, lucrifaciam. His qui ſine lege ſunt, tanquam ſim ſine lege, ut lucrifaciam eos qui ſunt ſine lege, inquit idem Apoſtolus *1. Cor. 9. verſ. 20. & 21.* ad legem Moſaicam reſpiciens.

§. 15. Deducunt nos iſta ſancti Dei hominis verba iterum in viam, à qua paululum ſumus digreſſi. De legum origine agere inſtituebamus, quam minus recte à Tacito aliisve monſtrari dum diximus, ſimul Legum neceſſitatem in quovis etiam hominis ſtatu & tempore aſſeruimus: Nunc ipſarum legum ortum à fonte repetemus. Quem in finem adſcribimus quædam verba Ciceronis ex libro ſecundo de Legibus: *Hanc igitur ideo ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neq; hominum ingeniis excogitatam, neq; ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret imperandi, prohibendiq; ſapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam dii* (Deus) *humano generi dederunt, recte eſt laudata. Eſt enim ratio, mensq; ſapientis ad jubendum, & ad deterrendum idonea.* Lex prima ſeu idea

omnium Legum in Deo exiſtit, & communiter lex Æterna, Lex Dei Æterna dici ſolet. Deus enim, ut abſolute prima & ſumma poteſtas, omnia dirigit & quidem ſecundum ideam mentis ſuæ ſeu ſecundum ſeipſum, veluti primam rerum omnium normam, omnia ordinat ac obligat. Ex iſto fonte deducendæ & in eum reducendæ ſunt leges omnes.

§. 16. Legum arbitrariarum omnium obligatio eſt à jure naturæ, juris naturæ obligatio, ut ſuo loco ex profeſſo demonſtrabimus, eſt ex natura rei vel objecti, cujus index & judex eſt Dei Sanctitas, ſeu Deus ipſe, tanquam prima Bonitas, prima Sanctitas adeoque princeps & independens lex vel legum omnium norma, in cujus convenientia omne juſtum, omne legitimum ultimo conſiſtit. *Lex omnis à Summo ſit Bono, ac rurſum in idem refluat*, recte ſcribit Cœlius Rhodiginus lib. XX. c. 19. Igitur, Sanctitas Divina primis Legibus originem ſubminiſtrat, atque vera legum origo eſt ab ipſo Deo arceſſenda. Notabilis eſt ſententia Ariſtotelis, quando libro 3. Politicorum cap. 12. p. 208. dicit: *Qui mentem*, τὸν νοῦν, *jubet imperare, videtur jubere imperare Deum atq; leges*, quam ſuo loco explicamus. Ex parte illud viderunt prudentes Ethnicorum Legumlatores, qui propterea ſecretius quoddam cum Deo commercium finxerunt, tantum ut ſuis legibus, quas à Deo ſe accepiſſe dicebant, auctoritatem conciliarent.

§. 17. Quid ſit Lex definire ante nequit, quam eam à cognatis & vicinis rebus ſatis diſtinxerimus. Dicere quid res non ſit, cum tamen eſſe videatur, eſt definitioni præludere, atque cavere ut diſtinguenda confundantur. Confunditur non raro Lex cum Conſilio, tum quod in conſiliis valeat auctoritas plurimum, docente Quintiliano

lib. 3.

lib. 3. c. 10. tum quod conſili um rectum vel obliget, vel ſaltem obligationi occaſionem præbeat. Conſiliis rectis obtemperare eſt Sapientis *Prov. 12. verſ. 15.* Differunt tamen permultum, & quidem quantum à conſilio diſtat imperium, quod conſiderandum monet Hieronymus ad Demetriadem de Virginitate. Conſilium eſt præceptum, in quo ratio, quare paremus ſumitur ab ipſa re, quæ præcipitur. Lex autem eſt præceptum, in quo parendi ratio ſumitur à voluntate præcipientis. Lex ejus eſt, qui poteſtatem habet in eos quibus præcipit, conſilium, ejus qui poteſtatem non habet. Facere id quod lege præcipitur officii, quod conſilio, arbitrii eſt. *Quod* autem ***imperatur,*** ſcribit Hieronymus adv. Jovinianum, ***neceſſe eſt fieri; quod neceſſe eſt fieri ni fiat, pœnam habet.*** Et poſt pauca: ***Ubi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: ubi præceptum, neceſſitas ſervientis.*** Conſilium dirigitur ad finem ejus cui præcipitur, lex autem ad finem ejus qui præcipit, & etiam cui præcipitur. Conſilium non niſi volentibus datur, lex etiam nolentibus. Denique jus conſiliarii tollitur arbitrio ejus cui conſilium dat; jus legislatoris non tollitur arbitrio ejus cui imponitur lex. Iſta ita Thomas Hobbes, portentoſi ingenii Philoſophus Anglus, in elementis philoſophicis de Cive cap. XIV. non male, quanquam alias judicio Gisberti Voetii in Biblioth. Stud. Theolog. p. 439. periculoſis ſæpe ac male cohærentibus axiomatibus præſtantiſſimam ſcientiam politicam non parum conturbet, atque noſtro judicio Theologiam fœde contaminet. Vid. l. 2. §. 6. ff. Mandati.

§. 18. Secundo, legem cum pacto confundunt, qui legem pactione niti autumant, aut legem per conventionem definiunt. Ita autem Ariſtoteles & communiter Græci, quos Democratici Politici hodie etiam ſequuntur. Difficile eſt

 ſupra

ſupra hypotheſin ſuæ reipublicæ ſapere. Et Lex & Pactum bifariam conſiderari poſſunt, ſemel ſimpliciter & ex communi uſu, ſemel ex uſu & hypotheſi hujus vel illius reipublicæ ex grat. Democratiæ, aut Reipubl. Romanæ. Aliud igitur eſt legem vel pactum ſimpliciter, aliud legem vel pactum juxta diſciplinam ex. gr. Democratiæ deſcribere. Noſtrum hic eſt univerſe & de Lege & de Pacto loqui, quomodo omnino ſunt diſtinguenda, quamvis affinitatem magnam habere videantur. Pactum enim ut noviſſimus Inſtituiſta definit, eſt conventio de aliquo dando, faciendo aut præſtando inita, promittentem obligans, & alteri in promiſſum conſentienti, ſeu illud acceptanti, jus exigendi tribuens. Pacta privatorum, modo non ſint contra leges publicas, bonos mores, impoſſibilia, dolo, fraude legis & in damnum tertii, item errore inita; vim legis obtinent, imo, ſi res judice Cicerone agatur, legi præſtat. *lib.2, d. Invent.* Quia igitur pactum obligat atque vim legis habet, idcirco lex eſſe videtur, non autem eſt. Pactum enim eſt promiſſum; lex, mandatum. In pactis dicitur, faciam: in legibus, fac.

§. 19. Nec denique Inſtituta ſtatim ſunt leges. Omnis quidem lex arbitraria eſt inſtitutum, ſed non viceverſa quodlibet inſtitutum lex eſt, quamvis inſtituta demum in leges tranſire poſſint. Et quod uni vel alteri Reipublicæ aut Eccleſiæ eſt lex, illud alibi & apud alios tantum inſtitutum eſſe poteſt. Ita inter Canones Eccleſiaſticos & Leges multum intercedit diſcriminis, in vulgus haud ſatis cognitum, unde toties iſta confundi videmus. Socrates lib.1. Hiſt. Eccl. cap. 13. p. 43. Τότε οἱ ἐν τῇ συνόδῳ ἐπίσκοποι καὶ ἄλλα τινὰ ἐγγράψαντες, ἃ κανόνας ὀνομάζειν εἰώθασιν, αὖθις κατὰ πόλιν τὴν ἑαυτῶν ἐχώρησαν. *Tunc vero Epiſcopi qui Concilio intererant, cum quædam etiam alia conſcripſiſſent, quæ Canones*

nones ſeu regulas vocare ſolent, ad ſuam quisq; urbem reverſi ſunt. Sozomenus Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 23. p. 437. σύνοδος ἐπανορθῶσαι τὸν βίον σπουδάζουσα τῶν περὶ τὰς ἐκκλησίας διατριβόντων, ἔθετο νόμους οὓς κανόνας ὀνομάζουσιν. *Synodus* (Nicæna) *eorum qui in Eccleſiis verſantur, mores corrigere ſtudens, leges quasdam conſtituit, quæ vulgo Canones appellantur.* Photius Præfatione in Nomocanonem dicit juxta Baſilium & Gregorium, *Canones Eccleſiaſticos eos eſſe dicendos & habendos, quos non modo ſeorſim & privatim aliquis, ſed plures Sancti Patres in unum convenientes de communi ſententia, cum accurata ac ſolicita perquiſitione decreviſſent.* Latius longe rem extendit Nicephorus Chartophylax in reſponſis ad Theodoſium Monachum, his verbis: *Canones eccleſiaſticos à divinis Patribus editos & confirmatos eſſe dicimus eos, quos tum ipſi ſancti Apoſtoli, tum ſancti Patres in ſeptem magnis & œcumenicis Synodis congregati ediderunt. Præterea etiam eos, quos Synodi locales vel Provinciales fecerunt, & quos diverſis temporibus quæ claruerunt Eccleſiæ luminaria & magni Pontifices promulgarunt.* Antiquis igitur magis canonis, quam juris eccleſiaſtici aut juris canonici nomen placuit, quod ſerius, forte faſtu & æmulatione Romani Pontificis, introductum autumant.

§. 20. Nec Eccleſia, nec Eccleſiæ Doctores & Epiſcopi, ſive ſeorſim, ſive in unum congregati, habent poteſtatem leges ferendi, unde quicquid in Synodis aut extra eas à Metropolitanis fuit inſtitutum, id non legis, ſed canonis nomine ſignificarunt. κανονίζειν eccleſiam, aut, quod ſummum erat, eccleſias, licebat Epiſcopis, non autem leges præſcribere. Duplex inde oritur inſtitutorum auctoritas, alia canonica, alia legalis, ſeu civilis, & per conſequens patebit nunc differentia Canonum & legum: quamvis unum idemque inſtitutum & Canonicam & legalem

aucto-

auctoritatem habere poſſit. Etenim Eccleſiæ inſtituta vim Canonis ſeu auctoritatem canonicam à Synodo, vim vero legis à Summa poteſtate accipiunt. Auctoritas canonica admittit ſuos gradus, cum Synodorum ratione exiſtimationis magna ſit differentia; auctoritas autem legalis eadem eſt, quod Majeſtas Civilis alia major, alia minor haud eſſe poſſit. Multos proinde obſervare licet Canones, qui non ſunt leges, quod Summæ Poteſtatis auctoritate deſtituantur, ſed vel vim conſilii habent, vel obligant per modum pacti, non vi imperii. Econtra ſunt leges eccleſiaſticæ, quæ Canonum nomine, accurate loquendo, minime veniunt: ſcilicet omnes illæ, quæ non ex ſententia Synodi, ſed extra eam à ſola Majeſtate ſunt præſcriptæ, in quibus non ἐπικύρωσις, confirmatio, ſed σημείωμα συνοδικὸν, ſignificatio vel indicatio Synodalis modo locum habebat. Quando Synodus leges eccleſiaſticas à Majeſtate extra Synodum conditas, jubebat Patres, Metropolitas quidem ſuis provinciis, Epiſcopos ſuis parœciis, intimare & proponere, actus ille σημείωμα συνοδικὸν dicebatur. Hujusmodi σημειωμάτων συνοδικῶν, Synodalium Intimationum, exempla paſſim habemus apud Balſamonem in Photii Nomocanonem tit. 1. cap. 34. pag. 25, tit. 8. cap. 2. p. 67. & tit. 13. cap. 2. pag. 138.

§. 21. Igitur inſtituta Eccleſiæ à confirmatione Synodi auctoritatem canonicam ſeu in eſſe canonis, à ratihabitione Majeſtatis (quam ἱερὰν πρόσταξιν, ſacram juſſionem, Veteres Canones, poſteriores ἐπικυρωτικὸν πρόσταγμα, vocant) auctoritatem civilem, imperatoriam vel legalem obtinere, ſeu in eſſe legis, conſtitui, dicuntur. Quemadmodum porro ſanctiones eccleſiaſticæ, canonicam tantum auctoritatem habentes, legibus cedunt, ita leges infra illos Canones, qui & canonicam & legalem auctoritatem habent, eſſe

credun-

creduntur. Etenim de talibus dubio procul intelligendus Photii Nomocanon, qui tit. 1. c.2, extat, ad quem ſequentia commentatur Balſamon: *Dic Canones plus quam leges valere. Canones enim ab Imperatoribus & ſanctis Patribus editi, tanquam divinæ Scripturæ recipiuntur, leges autem à ſolis Imperatoribus receptæ vel compoſitæ ſunt, & propterea vim non obtinebant adverſus divinas Scripturas aut Canones.* Ita Codicis Canonum Univerſæ Eccleſiæ dignitatem & auctoritatem, quam habet à confirmatione Juſtiniani, alibi demonſtravimus.

§. 22. Atque ita etiam Canones à Legibus diſtinximus. Ordine nunc ad Legis definitionem accedimus. Lex, ut plerique in moralibus & civilibus termini, eſt vocabulum analogum, ſeu rectius, πρὸς ἓν ἀφ' ἑνὸς ab uno ad unum, quale quod difficulter definitur. Lati enim eſt ſignificatus, nec ex æquo omnibus competunt, quæ legis nomine vulgo & prudentibus veniunt. Ariſtoteles hic definiret potiſſimum Legis analogatum, indicio eorum quæ libro V. Ethic. Nicom. cap. VI. legimus. Sed audiamus prius alios, Veteres, Recentiores, Doctores, quam noſtram definitionem proferamus. Hæc enim eſt via, quæ ducit ad veritatem: cum difficultatum & dubitationum ſolutio, ſit veritatis inventio. Arbitros autem, non adverſarios oportet eſſe eos, qui de veritate, ut eos poſtulat, judicium laturi ſunt, docente iſta Philoſopho *libro 1. de Cœlo cap. 1. & lib 7. Ethic. Nicom. cap. 3. ut & Metaphyſ. lib. 3. cap. 1.*

§. 23. Platoni Lex eſt *rectæ gubernandi ratio, quæ dirigitur in optimum finem per media commoda, proponendo transgreſſoribus pœnas & obedientibus præmia.* Lex non tam eſt recta gubernandi ratio, quam regula qua rectam gubernandi rationem metimur. Nec neceſſe eſt ut omnis lex optimum reſpiciat finem, uti nec pœnarum aut præmio-

rum conſtitutio vel determinatio eſt de eſſentia legis. **Ariſtoteles** lib. X. Ethic. Nicom. cap. 9. *Legem*, dicit, *habere vim ad cogendum valentem, cum ſit ratio à prudentia & mente profecta.* Græcus textus ita habet: ὁ νόμ⊙ ἀναγκαστικὴν ἔχει δύναμιν, λόγ⊙ ὢν ἀπό τιν⊙ φρονήσεως καὶ νῦ. Sed iſta juſſis & mandatis temporariis etiam competunt, quæ tamen non ſunt leges. Nec legis eſt cogere, alias qui lubenti animo legibus obediret, coactus obediret, quod implicat. ἀναγκάζειν, non βιάζειν, eſt legis. Ariſtoteles propterea docet legem habere vim ἀναγκαστικὴν, non autem βιαστικὴν. Multum iſta differunt. Lex omnis neceſſitat, nulla cogit, eſt hoc legum cuſtodis. In bono confirmati Angeli in cœlis neceſſario laudant Deum, non autem coacti.

§. 24. In Rhetoricis ad Alexandrum cap. 1. idem Philoſophus ſcribit, νόμ⊙ ἐστὶ λόγ⊙ ὡρισμέν⊙ καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα. *Lex eſt oratio quædam, quæ communi civitatis conſenſu definita, jubet quo pacto unumquodque agendum ſit.* Et cap. 2. ait: νόμ⊙ ἐστὶν ὁμολόγημα πόλεως κοινὸν, διὰ γραμμάτων προστάττον, πῶς χρὴ πράττειν ἕκαστα. *Lex eſt communis civitatis conſenſus, qui ſcriptis præcipit, quomodo unumquodq́ agendum ſit.* Leges à communi civitatis conſenſu ortum haud habere in ſuperioribus aſſeruimus, nec iſta Ariſtotelis, vel naturalibus, vel divinis poſitivis, nec Imperatoriis & Divalibus aut aliarum quam democraticarum quodammodo rerumpublicarum legibus accommodari poſſunt. Ita autem omnino eſt, ab indole loci, populi atque reipublicæ, ubi nati educatique ſumus, vel ubi bene nobis eſt, trahimus & imbibimus hypotheſes, quas in civilium rerum tractatu difficulter ex animo dimittimus. Quod ita verum, ut cum non aliis quam Politicis & Hiſtoricis Scriptoribus, antequam nos illorum lectioni committamus, majorem familiaritatem contrahere

debeamus

debeamus. Ita qui ignorat, Oratores Græcos, Iſocratem, Demoſthenem & alios tales, fuiſſe Demagogos, vix ipſorum deſcriptiones legum arbitrari poterit, quando leges κοινὰς συνθήκας, ὁμολογίας, ὁμολογήματα πόλεως, paſſim vocant.

§. 25. Cicero, qui primus è Latinis civilia tractare inſtituit, ex profeſſo tribus libris de Legibus egit, ingenue faſſus ſe doctrinam hanc ſuam accommodare ad illum, quem probat civitatis ſtatum, hoc eſt, liberorum populorum, in quibus Magiſtratibus præſcribendus eſt imperandi, civibus obtemperandi, modus. Varias in iſtis libris legum habet deſcriptiones, ex quibus quasdam modo huc transferimus. *Cum legem dico, nihil aliud intelligi volo, quam imperium ſine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.* Item: *Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ jubet ea quæ facienda ſunt probibetq; contraria.* Et poſt pauca: *Quoniam in populari ratione omnis noſtra verſatur oratio, populariter interdum loqui neceſſe erit, & appellare eam legem, quæ ſcripto ſancit quod vult, aut jubendo, aut vetando, ut vulgus appellat.* Et infra: Lex eſt vitiorum emendatrix, virtutumque commendatrix. Lex eſt ratio profecta à rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & à delicto avocans. Non ſervat Tullius definiendi regulas, ſive communem, ſive propriam legis naturam attendamus. Non omnis lex ab imperio, nec à natura rerum, eſt profecta. Præterea Cicero falſo ſupponit, legem debere eſſe bonam & recte poſitam, atque ulterius confundit ordinem quo mundus à conditore ſuo regitur cum vitæ humanæ regulis. Nec Seneca, parænefes loquens, legem accurate deſcripſit, in eo tamen Ciceroni præferendus, quod, legis officium eſſe, exiſtimet, jubere, non perſuadere. Quid aliud ſunt leges, quam minis mixta præ-

cepta? quærendo docet, ſed minus bene. Minæ legum eſſentiam haud ingrediuntur.

§. 26. Sed accedamus ad chorum Patrum. Clemens Alexandrinus, vir inexhauſtæ doctrinæ, libro 2. Stromatum pag. 350. ita de lege philoſophatur: *Lex autem eſt, non ea quæ lege decernuntur, nam nec ſunt ea quæ videntur, viſus, neq; quævis opinio: non enim ea quoq; quæ eſt mala, ſed lex eſt opinio bona: bona eſt autem quæ eſt vera: Bona eſt autem quæ id quod eſt invenit, & id aſſequitur.* Qui eſt autem, miſit me, inquit Moſes. *Cui conſequenter, bonæ ſcilicet opinioni, quidam dixerunt legem eſſe rectam rationem, quæ jubet quidem ea quæ ſunt facienda, probibet autem quæ non ſunt facienda. Unde merito dictum eſt, legem datam eſſe per Moſen, ut quæ ſit regula juſtorum & injuſtorum: & eum propter θεσμὸν, id eſt, ritum, dixerimus quia à Deo per Moſen eſt traditus. Habet itaq; eam quæ eſt ad Deum deductionem.* Hæc Clemens, quæ ex ante dictis nullo negotio corriguntur. Ex Platonis ſchola eſt dogma illud, legem omnem non neceſſitandi tantum ſed & perſuadendi vim habere; quod multi & magni viri amplectentes legem per rationem rectam deſcribunt. Quo ſpectat minus apta dictio Clementis, quando legem opinionem bonam eſſe dicit. Ubi ſimul ſupponit, legem omnem debere eſſe juſtam & bonam, quod corrigimus infra.

§. 27. Ex Auguſtino communiter Doctores ſequentem notare ſolent definitionem: Lex eſt ſumma ratio cui ſemper obtemperandum eſt, per quam mali miſeram & boni bonam vitam merentur. Falſitatis eam arguunt, quod operum merita jactitet, ideoque putant non Auguſtini, ſed à Monachis confictam & Auguſtino falſo eſſe attributam. Legitur autem iſta notata legis definitio in primo Auguſtini cap. 6. de Libero Arbitrio. Integer contextus

hic eſt. *Quid illa lex quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt, & per quam mali miſeram, boni beatam vitam merentur, per quam deniq; illa, quam temporalem vocandam diximus, recte fertur, recteq; mutatur, poteſt ne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaq; videri? An poteſt aliquando injuſtum eſſe, ut mali miſeri, boni autem beati ſint?* Euvodius reſpondet: *Video hanc æternam eſſe atque incommutabilem legem.* Vides lector, inſtitutum Auguſtini hic non eſſe legem in genere definire, cum ſermo ipſi potiſſimum ſit de Lege Æterna. Notanda & hic Caſauboni obſervatio eſt, qui ad lib. I. Plinii Epiſt. 8. monet, verbum mereri veteribus non ſemper ἀξιοῦσθαι ſive dignũ eſſe: ſed τυγχάνειν etiam ſimpliciter, & factum notare, non jus: quod & H. Grotius ad Matthæi cap. 6. ℣. 1. obſervat. Quod in Patrum, etiam Auguſtini, ſcriptis recte accipiendis magnum uſum habet adverſus eorum corruptores ſiniſtroſque interpretes. Poſſumus aliquid mereri h. e. conſequi, quod non ſtatim meremur ex merito. Omne quod facta noſtra conſequitur, ſive præmium, ſive pœna fuerit, aliquando meriti nomine ſignificatur. Vid. Hieronymus in vita Pauli extr.

§. 28. Audiamus adhuc unum ex Patribus, Epiſcopum Hiſpalenſem Iſidorum, virum omni ſcientiarum genere cumulatiſſimum. Is lib. 2. Etymologiarum cap. 10. legem dicit eſſe conſtitutionem ſcriptam præcipientem, quomodo unumquodque agendum ſit. Quam deſcriptionem ex Decreto Gratiani Canoniſtæ repetere ſolent. Sed in facili eſt videre, univerſe legi eam non competere, adeoque doctrinam noſtram minime juvare. Doctorum Eccleſiaſticorum primorum ſeculorum ſcripta, ni valde fallimur, ſunt exoterica potius, quam acroamatica. Exoterica in definiendis rebus non multum laborant; Acroamatica autem potiſſimum in definitionibus occupantur:

 quod

quod accuratioris doctrinæ ſummum ſit bene definire. Primi, qui in exponendis doctrinis ſacris concinniorem ordinem, & demonſtrandi, adeoque & definiendi, regulas obſervare annituntur, ſunt Johannes Damaſcenus in Eccleſia Græca Seculo IIX. qui vixit, & Anshelmus in Eccleſia Latina Seculo XI. qui claruit. Neuter autem legem definivit, adeoque miſſis Patribus ad Scholaſticos nos ordine nunc convertimus.

§. 29. Lombardus, Magiſter Sententiarum, doctrinam de lege neglexit. D. Thomas 1. 2. qu. 90. definiturus legem quatuor præmittit concluſiones. I. Cum lex ſit quædam regula & humanorum actuum menſura, neceſſario ad ipſam rationem ſpectat. II. Cum lex ſit regula humanorum actuum, quorum ultimus finis eſt beatitudo, & quidem communis: neceſſe eſt, eam ſemper ad bonum commune ordinari. III. Cum lex ordinet hominem in bonum commune, non cujuslibet ratio facere poteſt legem, ſed multitudinis, vel principis, vicem multitudinis gerentis. IV. Cum lex per modum regulæ, quæ his quibus imponitur, applicari debet, conſtituatur: eam, ut obligandi vim habeat, promulgari, & ad eorum qui legi ſubjiciuntur, notitiam deduci, oportet. Ex quatuor prædictis colligit definitionem legis, quæ nihil eſt aliud, quam quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet, promulgata. In qua definitione Gregorius de Valentia inter alia reprehendit, quod illa latius pateat quam definitum, cum non tantum leges ſed etiam conſilia contineat, quæ & ipſa ſint ordinationes quædam rationis, nec tamen proprie leges, quod vim obligandi non habeant, ut in ſuperioribus etiam à nobis fuit demonſtratum. Verum enim vero dupliciter excludi videtur conſilium per datam à Thoma definitionem.

Primò, conſilium qua tale per ſe non eſt à Superioribus, quatenus habent curam Reipublicæ & imperium in ſubditos ac cives; Lex autem quam Thomas hic deſcribit, per ſe eſt à Superiore imperium habente. Notanter dicimus, lex quam Thomas hic deſcribit: nam non omnis lex nititur imperio, uti ſuo tempore docebimus. Deinde ſecundo, dubio procul Thomas vult intelligi non de quavis ſed efficaci ordinatione h. e. quæ vim neceſſitandi habet, & hoc videtur ſignificare voce promulgata, quia conſilio non convenit proprie promulgari: nam hæc vox indicat ordinem ad obligationem inducendam, in quo maxime differt conſilium à lege. Forſan autem difficultas, qua premitur Thomæ iſta definitio eſt, quod etiam juſſui & mandato ſingulari atque temporario competat, cum tamen non quivis juſſus, ſeu mandatum, ſtatim lex ſit & habeatur.

§. 30. Dominicus Soto de juſtitia & jure qu. 1. definitionem Thomæ approbans, ante omnia in explicatione ejus examinandum eſſe exiſtimat, utra in potentia exiſtat lex: nempe utrum intellectus ſit, an voluntatis actus, quem quinti Doctoris ſectatores ſequuntur omnes, otio & ingenio indulgentes. Inepte lex dicitur actus, cum legem ferre & lex differant quemadmodum ædificare & domus, ut operatio & opus. Præterea lex Dei æterna, ut & Naturalis non ſunt rationis ordinatio, nec de iis bene quæri poteſt, utrum intellectus ſint, an voluntatis, actus? Omnia igitur quæ hic diſputant Doctores ſunt quæſitæ difficultates nudam & obviam veritatem obſcurantes, nec niſi ad legem poſitivam referri poſſunt. Imperare & leges ferre eſt actus perſonæ in perſonam, qui peragitur beneficio partim intellectus, partim voluntatis, tanquam principiis quibus. Legislator videt & proſpicit intellectu quid è re reipubl. & Eccleſiæ ſit, & illud vult à ſuis fieri vel omitti,

in

in qua voluntate ultimo ſtat ratio legis. Intellectus eſt legem ſcribere, voluntatis eſt eam præſcribere. Hinc Caſtro lib. 1. de leg. pœnal. c. 1. ait, legem *voluntatem rectam ejus qui vicem populi gerit, voce aut ſcripto promulgatam, cum intentione obligandi ſubditos ad parendum illi.* Lex non eſt voluntas, ſed voluntatis opus, id quod de lege poſitiva tantum intelligi debet. Nec neceſſe eſt ut omnis lex ſit opus rectæ voluntatis, cum & non rectæ eſſe poſſit. Nec omnis legislator vicem populi gerit, cum poſſit eſſe vel populus ipſe, vel Monarcha vel Magnates abſolutam poteſtatem habentes.

§. 31. Audiamus etiam Jurisconſultos. Ita autem Papinianus ff. de legibus l. 1. *Lex eſt commune præceptum, virorum prudentum conſultum; delictorum quæ ſponte, vel ignorantia contrahuntur coercitio: communis reipublicæ ſponſio.* Et eod. tit. l. 2. Marcianus ex Demoſthene legis definitionem repetit, de quibus omnibus ex ſuperioribus ſtatuendum. L. 7. eod. tit. ex Modeſtino *legis virtus* dicitur eſſe, *Imperare, Vetare, permittere, punire.* Permisſio non eſt obligatio, cum proprie non actio ſit legis, ſed actionis negatio Grot. lib. 1. c. 1. §. 9. Punire, non legis, ſed cuſtodum legis actio eſt, quod infra clare oſtendemus. In Inſtitutis tit. 1. §. 4. *Lex eſt quod populus Romanus ſenatorio magiſtratu interrogante (veluti Conſule) conſtituebat.* Non eſt hæc legis in genere definitio, ſed quid apud Romanos, ex uſu ſtatus, legis nomine ad decipiendam plebem venerit, exponit, non tam ex Philoſophia Practica, quam ex Hiſtoria rerum Romanorum illuſtrandum. Non niſi quod in Comitiis, ubi totus Populus erat congregatus, ex concordia duorum curiatorum votorum, interrogante Conſule aut alio magiſtratu Senatorio, an in hoc vel illud conſentirent, ſeu ut habet ſolennis interrogandi formula

VULTIS

VULTIS, JUBEATIS QUIRITES & reſpondente UTI ROGAS, conſtitutum, lex dicebatur. Alia extra-comitialia præſcripta, licet revera leges eſſent, legis tamen nomen non habebant, callido Magnatum conſilio.

§. 32. Hugo Grotius, vir ſui nominis, lib. 1. de Jure B. & P. cap. 1. num. 9 legem definit, quod ſit *regula actuum moralium obligans ad id quod rectum eſt*. In hac definitione varia corrigenda rigidiori Grotii cenſori videntur. Nam regulam metaphoricam vocem eſſe, in cujus locum propria ſubſtituenda, atque idcirco non recte legem per regulam definiri, haud facile qui rem putat concedet. Non enim ab arte ad prudentiam, ſed potius à prudentia ad artes vox regula eſt translata. Loco obligationis ſubſtituit vim coactivam addens, obligatio enim à quadam vi coactiva oritur. Utrumque falſum, ut demonſtratum ſupra, & amplius, demonſtrabitur. Cenſor autem definitionem legis talem ponit: *Lex eſt enunciatio univerſalis præſcribens facienda vel omittenda in aliqua ſocietate cum vi coactiva conjuncta*. Sed rigoroſe loquendo, nulla lex poteſt dici enunciatio, cum oratio imperativa ſit oratio non enunciativa, ut docemur in Logicis. Pufendorſius circa Grotianam iſtam definitionem, dum legem dicit obligare ad id, quod rectum eſt, notandum ducit, Grotium ſupponere, dari aliquod juſtum & rectum ante legem & normam, adeoque legem naturæ rectum non facere, ſed jam antea exiſtens duntaxat ſignificare. Quam hypotheſin male improbat Pufendorſius, toties meliora monitus, econtra ſtatuens, nihil eſſe honeſtum aut turpe in ſe citra ſuperioris impoſitionem. Quo præſuppoſito dicit: *In genere lex commodiſſime videtur definiri per decretum, quo ſuperior ſibi ſubjectum obligat, ut ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat*. Quaſi vero omnis lex obligationem ſuam

ab impoſitione ſuperioris nanciſcatur. Et præterea iſta definitio cuivis particulari mandato accommodari poteſt, quod applicanti eam ad ſingulares juſſus patebit.

§. 33. Novellus Inſtituiſta ita de natura legis philoſophatur. Lex eſt oratio à prudentia profecta, cum auctoritate obligandi &cogendi conjuncta, normam agendi præfiniens. Cum multæ ſint & diſtinctæ Legum ſpecies, primo legem in genere definire ipſi placuit. Quia verò lex eſt vocabulum analogum, quod ſecundum uſum loquendi uni ſpeciei primario, alteri ſecundario tribui ſolet; ideo ſi quis legem in ſpecie definire velit, principem ejus ſpeciem deligat, quam ſequenti modo deſcribit: *Lex eſt ratio à prudentia ejus qui legiſlatoria poteſtate præditus eſt, profecta, normam agendi ſubditis præfiniens, eosq; primario ad ſui obſervantiam, ſecundario ad pœnam obligans.* Hæc definitio legi poſitivæ humanæ competere poſſet, quis autem eam principem legis ſpeciem dixerit? Nonne obligatio legis poſitivæ fundatur in obligatione legis naturæ, adeoque hæc primario, illa ſecundario lex dici debet? Taceo minus recte in definitione legis, vis coactivæ & obligationis ad pœnam fieri mentionem. Alio iſta pertinent & aliunde ſunt deducenda.

§. 34. Denique è Schola Theologorum recentium producimus ſequentes legis definitiones. Communiter docent, quod lex ſit doctrina à Deo per Moſen tradita, præcipiens quales nos eſſe, & quæ facere, quæ omittere oporteat: & requirens perfectam obedientiam erga Deum, & pronuncians iraſci Deum, & punire æterna morte non præſtantes perfectam obedientiam. Sed hoc non eſt legem in genere definire. Meiſnerus plenam & cauſalem definitionem hanc eſſe putat. Lex eſt norma, Deo auctore, intellectui practico recte agenda cum imperio & obliga-

tione

tione præſcribens, ut καλοκαγαθία in genere humano, adeoque tranquillus rerumpublicarum ſtatus conſervetur, & Dei gloria illuſtretur. Et hæ quidem fere ſunt, quæ hoc in loco notari debebant legis definitiones, quarum aliquid tollendum, aliquid relinquendum erat, modeſte inſtituto examine ἡ γὰρ λύσις τῆς ἀπορίας, εὕρεσίς ἐστι. Dubiorum ſolutio eſt veritatis inveſtigatio. VII. Ethic. Nicom. cap. 7. ſ. 40. Et ut tandem inveniamus quod quærimus, encomia, conditiones & definitionem legis diſtingui petimus. Encomia ejus ex Florilegiis petantur non ad definiendum ſed commendandum contra Antinomos.

ſ. 35. Lex Dei æterna obſtat quo minus legem univerſe definire queamus. Iſta autem ſepoſita, noſtro animo Lex eſt Dictatus univerſalis ad agenda omittendave ſub vindicta obligans omnes ad quos pertinet. Quæ definitio legibus Naturæ & Arbitrariis tam Gentium quam Civilibus, cujus etiam ſint ordinis & nominis, exacte competit. Non omnis dictatus eſt lex, legem autem omnem eſſe dictatum, vel ex terminis conſtat. Quicquid faciendum vel omittendum nobis incumbit, id omne dictitat lex & omne quod dictitat lex id faciendum vel omittendum nobis incumbit. Lex ſignificat id, quid à nobis fieri vel non fieri velit is qui per legem voluntatem ſuam nobis declarat, unde legem omnem eſſe dictatum, recte dictum. Cum porro omnis juſſus vel mandatum ſit dictatus nec tamen habeatur lex, veluti quando Deus Abrahamo dixit: Immola mihi unicum tuum filium; idcirco addimus, lex eſt dictatus univerſalis, non ad præſens modo ſed & ad futurum tempus reſpiciens, atque non ad unum vel alterum ſed plures pertinens. Scholaſtici dicunt, de ratione legis eſſe ut feratur pro communitate, id eſt, ut ab omnibus & ſingulis de communitate ſervetur, cum diſtributione accommoda juxta condi-

tionem legis. Clarius hoc in Jure Civili eſt expreſſum in *l. jura 2. ff. de legibus.* Dicitur enim ibi, *Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Unde Papinianus legem dixit eſſe præceptum commune. Ubi Jaſon: *triplici ratione poteſt dici lex præceptum commune. Primo, quia communi conſenſu ſeu auctoritate lata eſt. Secundo, quia debet eſſe communis omnibus. Tertio quia pro bono communi.* Lex non ad quosdam, ſed omnes, nunc collective nunc diſtributive ſumtos, pertinet, unde & univerſaliter loquitur.

§. 26. Agendorum omittendorumve generalioribus verbis circumſcribitur quicquid ullo modo ſub legem cadit. Nam & pati aliquid nonnunquam per legem tenemur. Obligatio eſt anima legis, de qua mox pluribus. Dum autem lex obligat, etiam dirigit ſeu obligando dirigit, & dirigendo obligat, ut non neceſſum fuerit directionis in dèfinitione legis diſtinctam facere mentionem. Addimus, ſub vindicta. Omnis pœna eſt vindicta, ſed non viceverſa. Lex Gentium non ſub pœna ſed ſub vindicta obligat eos, ad quos pertinet. Gens Gentem, Majeſtas Majeſtatem punire haud poteſt, cum nil æque arguat ſubjectionem quam poſſe puniri; vindicta autem, veluti bellum, inter eas locum habet. Denique, lex quidem dicebatur præceptum commune, non tamen obligat niſi eos ad quos pertinet.

§. 37. Dicendum nunc porro eſt, quid ſit Obligatio; tam activa, quam paſſiva. Imperator ita etiam deſcribit: *Obligatio eſt juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ ſecundum noſtræ civitatis jura.* pr. Inſt. d. Obligat. & l. 3. pr. ff. de O. & A. Sed noſtro inſtituto iſta definitio non eſt conveniens, cum de obligatione legum in genere agimus. Eſt homo libertate agendi natura

tura

tura præditus, alias nec bene nec male agere, nec obligare nec obligari, poſſet, & conſiſtit illa libertas in indifferentia ad utrum libet oppoſitorum ut quis poſſit agere & poſſit non agere, agere hoc, agere iſtud, agere ita agere aliter. Vocatur alias libertas à neceſſitate, & contradiſtinguitur libertati à coactione, qua quis agit ſine vi & coactione, licet non agat ſine neceſſitate. Ne autem naturalis illa voluntatis libertas in vagam libidinem quidvis agendi degeneret, Lex illam circumſcribit atque liberum alias agens ad unum oppoſitorum ſub vindicta determinat, adeoque neceſſitatem voluntati imponit agendi vel omittendi, hoc vel iſtud; ita vel aliter. Et in hoc conſiſtit Obligatio, nempe in neceſſitando & adſtringendo libertatem agendi ad unam partem, ſive contradictionis ſive contrarietatis. Ita ex. gr. vovere, non vovere, eſt res meri arbitrii non legis, adeoque in vovendo quis liber eſt ſaltem libertate contradictionis; poſtquam autem quis apud ſe conſtituit vovere, non ipſi eſt liberum, cui, quid, quomodo & cujus cauſa vovere, adeoque in vovendo libertas contrarietatis lege eſt adſtricta. Nemo ad vovendum eſt obligatus, eſt tamen ubi vovet ad certam vovendi rationem obligatus.

§. 38. Ex naturæ inſtituto voluntas noſtra eſt appetitio cum ratione conjuncta, ut non ſemel loquitur Ariſtoteles, igitur voluntas noſtra dictatibus rationis, ipſa natura magiſtra, vult & debet dirigi. Lex autem eſt dictatus rationis, utpote oratio à prudentia profecta. Ergo, ex naturæ inſtituto, voluntatis libertas norma legum debet circumſcribi atque determinari, & hoc eſt obligari; quemadmodum naturalem voluntatis libertatem adſtringere & neceſſitati ſubjicere eſt obligare. Ex dictis itaque ſic deſcribimus *Obligationem*, quod ſit *auctoritas legis, qua libertas hominis naturalis adſtringitur, ut juri & ordini cujusq;*

tis, cujus pars eſſe velit, agendo vel non agendo ſe conformet. Hæc libertatis adſtrictio, non coactio ſed neceſſitas dicitur Philoſopho X. Eth. Nic. c. 9. ut & Imperatori in definitione ejus in ſuperiori §. propoſita. Atque hinc *l. 13. C. de Contrab. empt.* dicitur, quod nulla obligatio ſit, quæ non neceſſitate quadam adſtringat. Patet nunc minus recte vim legis in directivam & coactivam vulgo diſtingui; non cogere ſed neceſſitare eſt legis, poteſt autem quis ex neceſſitate non coactus agere. Violentia non eſt in lege, ſed neceſſitas. Dicimus hominem eſſe liberum & à coactione & à neceſſitate, per legem autem tolli libertatem non à coactione, verum à neceſſitate. Sunt multa quæ voluntatis indifferentiam quodammodo ſiſtere, aut voluntatem in alterutram partem movere poſſunt, ſed id non eſt neceſſitare ſeu obligare, id quod ſolius eſt legis, & conſiſtit in quodam actu interno, quemadmodum coactio in actu quodam externo Legislatoris aut judicis videtur.

§. 39. Quemadmodum porro Dictatus quivis â ſuo auctore accipiunt auctoritatem, majorem minoremve, prout auctoris major minorve eſt auctoritas, ita & cum legis auctoritate eſt comparatum. Ubi ſciendum legem ſuos non obligare effective ipſum obligationem cauſando, quod eſt vel ex natura rei ſeu objecti, vel voluntate ſuperiorum, vel voluntate propria, ſed terminative, ſcilicet ut terminus obligationis & per modum cauſæ exemplaris, quia eſt id ad quod obligatur quis, ut ex ejus præſcripto operetur, ſicut artifex in operando dirigitur ab exemplari ſibi propoſito. Id quod ita docet Becanus ſecutus Scholaſticos. Lubet autem involutum evolvere. Auctoritas, ut à nobis nunc capitur, & conſideratur, proprie & primario eſt intelligentis naturæ, ſecundario autem,

alicujus

alicujus, quod ab illa ad ejus mentem & voluntatem ſignificandum profectum fuit (ex. gr. legis) ex ejus perfectione reſultans vis facultas alliciendi, inducendi & movendi aliorum ſive intellectum ad aſſentiendum aſſertionibus; ſive voluntatem ad obſequendum mandatis. Lex igitur dependenter ſuam habet auctoritatem, & derivatur hæc in illam ab eo, unde nacta eſt obligationem, cui intrinſece ut legi extrinſece auctoritas competit. Non igitur omnium legum æqualis erit obligatio.

§. 40. Sed unde leges vim obligandi nanciſcuntur? Reſpondent communiter Doctores: Obligatio legis principio inde eſt, quod qui ſe aggregaverant cœtui alicui, aut homini hominibusve ſubjecerant, hi aut expreſſe promiſerunt, aut ex negotii natura promiſiſſe debebant intelligi, ſecuturos ſe id, quod aut cœtus pars major, aut hi, quibus delata poteſtas, conſtituiſſent, eſtque hæc promiſſio obligationis quæ lege fit cauſa remota. Propinquior cauſa quæque magis nobis conſideranda venit eſt juſſus Majeſtatis, à quo ſolo ut eſſe legis ita obligatio dependet. Verum iſta doctrina nobis non admodum probatur, cum quæſtio ſit generalis & loquatur de origine obligationis legum in genere, reſponſio autem ſit ſpecialis, ad poſitivas, præcipue humanas, reſpiciens. Nobis videtur, fontem ſeu originem obligationis legum communem generali doctrina oſtendi haud facile poſſe, ſed eſſe hic diſtincte incedendum hoc modo: Obligationem ſuam nanciſcuntur leges vel à natura rei & objecti, vel ab imperio, vel à pacto & conventione, vel à promiſſione. Fallit autem Gratianus quando in §. leges Diſtinct. IV. ſtatuit: *Leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt, ita moribus utentium ipſæ*

leges

leges confirmantur. Ab acceptatione leges vim obligandi haud habent, cum & invitis præſcribi valide poſſint. Quamvis in Democratiis, ubi idem eſt condens & acceptans legem, contingere poſſit, ut acceptatio neceſſaria ſit ad legis obligationem. Nec denique legis obligatio à ratione ejus eſt: cum nonnunquam pro ratione ſtet Legislatoris voluntas, nec omnium legum reddi ratio poſſit, præſertim illarum quæ ſunt principia, non autem concluſiones.

§. 41. Omnino autem eos, ad quos lex pertinet, ſcire oportet, tum quid lex velit jubeatve, tum unde lex ſuam habeat obligationem, alias officium ſuum facere nequit, Quem in finem ad legem omnem requiritur promulgatio, qualis demum illa ſit, ſive manifeſtatio, declaratio, notificatio, ſive promulgatio ſpecialiter ita dicta, modo per eam lex iis, quos dirigere & obligare debet, innoteſcat. An autem promulgatio ſit legi eſſentialis, an vero conditio ſine qua non, quia non niſi promulgata actu obligat, diſquirant alii. Non vero eodem modo omnes leges promulgantur, ita aliter leges naturales, aliter arbitrariæ nobis innoteſcunt. Quando vero lex ſufficienter eſt promulgata, etiam ignorantes obligat, quod ſcire & ſcire debere ſint paria. Unde ignorantia in iis non excuſat, quæ quis ratione officii tenebatur indagare *cap. cum in cunctis & cap. innotuit circa finem, extr. de Elect. text. in cap, quamvis de R. I.* Nil autem æque officii ratio exigit, quam jus ſuum non ignorare, unde ignorantia legum eſt lata culpa. Quod idem & de legum oblivione eſt dicendum, Quanquam vero iſta ita ſe habeant, ut diximus, non tamen à ſcientia legis deſcendit ejus obligatio ſed ex natura rei, aut à voluntate & poteſtate, ut ante diſtincte annotavimus. Denique obligant omnes leges,

hoc

hoc tamen ſervato ordine, ut arbitrariæ humanæ ce-dant legibus poſitivis, hæc vero pariter ac illæ ce-dant legibus naturalibus, id quod in concurrentia le-gum probe eſt attendendum.

§. 42. Lubet locum de legis definitione con-cludere aliquo ſermonis compendio. Legum cau-ſa finalis eſt quieta & tranquilla vita in omni pietate & honeſtate *1. Tim. 2* ℣. 2. Complementum autem ulti-mum (τέλος) Legis charitas, de corde puro, & conſci-entia bona & fide non fucata. *1. Tim. 1.* ℣. 5. Legum cauſa efficiens ſeu auctor, cuſtos, vindex, arbiter & interpres eſt Majeſtas. Materia legum ſunt actiones humanæ ſub ratione boni vel mali, utilis vel noxii. Forma legum conſiſtit in neceſſitando ad unum op-poſitorum, unde inducitur & debitum obedientiæ, & debitum ſubjectionis. Hebr. 13. ℣. 17.

§. 43. Laudantur præterea hic requiſita legis, quæ Iſidorus lib. 2. Originum cap. 10. expreſſit, & à Gratiano aliisque communiter in generali de legibus doctrina repetuntur, cum tamen non tam legis quam materiæ legum, & quidem poſitivarum humanarum, ſint conditiones. Verba Iſidori cit. loc. hæc ſunt: *Erit lex honeſta, poſſibilis ſecundum naturam & patriæ conſvetudinem, loco temporiq; conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta quoq; ne aliquid per obſcuritatem in ca-ptionem contineat, nullo privato commodo ſed pro com-muni civium utilitate conſcripta.* Fridericus Impe-rator apud Radevicum lib. 2 cap 3. ita complectitur: *Sive ergo noſtrum jus, ſive veſtrum in ſcriptum redi-gatur, in ejus conſtitutione conſiderandum eſt, ut ſit hone*

ſtum, juſtum poſſibile, neceſſarium, utile loco temporiq; conveniens. De ſingulis aliquid.

§. 44. Sit Lex, primo, honeſta. Dubioprocul lex diciturhoneſtaratione objecti, ut illa demum lex honeſta ſit cenſenda, quæ honeſta jubet, turpe vetat. Quid ſit honeſtum facilius exponitur, ſi attendamus analogiam quæ eſt inter pulchritudinem & honeſtatem. Quod enim in corpore eſt pulchritudo, hoc in animo eſt honeſtas. Utraque in quadam harmonia conſiſtit. Honeſtum autem duplex eſt, aliud natura, aliud moribus. Natura honeſtum æſtimatur ex congruentia cum excellentia & dignitate humanæ naturæ & fine hominis nobiliſſimo, ad quem à natura & naturæ auctore Deo eſt conditus. Quicquid cum illa excellentia & fine hominis in actionibus, affectibus, conſiliis & habitibus noſtris conſentit, illud eſt honeſtum natura, & quicquid illis adverſatur eſt turpe natura. Ex quibus patet, quæ lex ſit dicenda honeſta, nempe quæ tale quid, quale deſcripſimus, jubet aut ejus oppoſitum vetat. Sed obſervandum, non neceſſe eſſe ut omne quod agimus ſit honeſtum, licet neceſſe ſit ut quod agimus non ſit turpe, & ſufficit id agere quod eſt non inhoneſtum. Honeſtum enim quid dicitur nunc in ſenſu ajente, nunc in ſenſu negante. Quapropter cum dictum, legem honeſtam eſſe debere, requirimus ut præcipiat quod eſt honeſtum, ſi non in ſenſu ajente, ſaltem in ſenſu negante. Eleganter Cicero lib. 3. Offic. *Videntur quædam honeſta quæ honeſta non ſunt: multa quæ natura honeſta videntur eſſe temporibus fiunt non honeſta: ſæpe tempore fit ut quod plerumq; turpe haberi ſoleat*

ſoleat inveniatur non eſſe turpe. Et Imperator Auth. ſed novo Cod. ad Leg. Jul. de Adult. *Leges ac mores ſuum habent ævum ac fatum, ut quod quandoq; inboneſtum viſum eſt, deinde boneſte fieri patetur.* In quæſtione autem, an lex ſit honeſta, nec ne? ſemper Honeſtum magis quam inhoneſtum eſt præſumendum.

§. 45. Secundo requiritur, ut lex ſit juſta. Auguſtinus, *Legem non videri*, ait lib. 1. de Lib. Arb. ap. 5. *quæ juſta non fuerit.* Ariſtoteles autem lib. 5. Eth. Nic. cap. 1. §. 27. dicit, πάντα τὰ νόμιμά ἐστί πως ίκαια. Amplius igitur id diſputandum. Quem in finem obſervamus, Juſtum quid dici bifariam, vel in e & ſua natura, vel ex hypotheſi. Quod juſtum modo eſt ex hypotheſi, extra hypotheſin ſaltem non juſtum eſt, & quod in ſe non eſt juſtum, ex hypotheſi ſæpe fit juſtum. Quamvis aliquid & in ſe & ex hypotheſi, juſtnm, vel non juſtum eſſe poſſit. Differunt oneſtum & juſtum. Hoc enim reſpectum involvit d alterum, honeſtum autem ſolius ſui ſubjecti perectionem denotat. Honeſtum applicatum ad alteam perſonam, cui illud debetur, fit juſtum. Deine juſtum tale eſt vel juſtitia univerſali, vel juſtitia articulari. Denique, ut honeſtum ita & juſtum nunc n ajente, nunc in negante ſenſu ſumitur. Ex quibus acilius, quæ lex juſta haberi debeat, eſt ſtatuendum.

§. 46. Legem injuſtam non eſſe legem, ſimpliciter admitti nequit: cum multiplici ex cauſa lex njuſta dici poſſit, nec tamen propterea ſtatim deſinat eſſe lex, ſeu deſinat obligare. Etiam quando

Legislator injuſte imperat, modo non imperet inJuſtum, ſubditus tenetur obedire; cum fieri poſſit, ut quod non potuit ſine peccato præcipi, poſſit tamen ſine peccato præſtari. Et quamvis obedientia non ſit nec eſſe debeat diſputatrix, tamen nec cœca eſſe debet, quando quis credit juſtitiam ſolo obſequio conſtare, ſine ulla diſcretione juſti & recti. Ne igitur & nos hic ſimus cœci, præſcribimus nobis ipſi hanc regulam: Illa demum lex injuſta, non eſt lex, nec obligat, quæ eſt talis ratione objecti & materiæ, hoc eſt, quæ præcipit quod in ſe eſt turpe & injuſtum, aut vetat quod eſt in ſe honeſtum & juſtum. Hæc talis injuſta lex ſola non eſt lex, nec obligat ad obediendum, imo obligat, per aliam tamen legem, ad non obediendum. Sunt enim talia ejusmodi, ut nulla vi aut neceſſitate coacti ea agere debeamus, utque potius mors nobis ſit oppetenda, graviſſimique cruciatus perferendi, prudenti Ariſtotelis monito, quod extat lib. 3. Ethic. Nicom. c. 1. §. 19.

§. 47. Nec omnis lex eſt juſta vel injuſta, cum detur etiam lex non injuſta, non juſta. Non enim neceſſario requiritur, ut quod lege continetur ſit juſtum in ſenſu ajente, ſed ſatis eſt ſi ſit juſtum in ſenſu negante Præterea non requiritur ad juſtitiam legis, ut præſcribat quod eſt juſtum in ſe, verum ſufficit ut id ſit juſtum ex hypotheſi, ſeu, ut antea loquebatur Ariſtoteles, ſit πως, quodammodo, juſtum. Sunt qui legis juſtitiam ad ipſam formam legis internam referunt, eamque in congruentia cum jure naturali, cum dictamine rectæ rationis & principiis practicis ponunt.

Sed

Sed aliud eſt, congruere cum jure naturæ, aliud non adverſari juri naturæ. Hoc ſufficere, illud haud neceſſario requiri, putamus. Diſtinguimus ulterius inter malum turpe & malum triſte. Lex præcipiens malum triſte, licet à parte imperantis nonnunquam poſſit eſſe injuſta, non tamen propterea deſinit eſſe lex, non deſinit obligare. Lex injuſta non deſinit eſſe lex quod perpeſſu iniquum præcipiat, modo id quod præcipit non ſit factu turpe aut injuſtum. Et tenemur omnino tali legi obedire. Tollit legem ejusque obligationem illa injuſtitia quæ ineſt legi ratione objecti & materiæ, non tollit illa injuſtitia, quæ legi ineſt vitio tantum legislatoris. Multa enim quæ fieri non debent, facta tamen valent; idcirco plura requiruntur ad legem ut ſit bona, pauciora ut lex ſit rata & valida.

§. 48. Concludimus iſtum diſcurſum obſervatione regulæ prudentiæ: Lex imperando aliquid prohibens fieri, quod eſt ita neceſſarium ut non poſſit à ſubdito ſine peccato omitti, vel imperando jubens aliquid fieri quod eſt in ſe turpe & inhoneſtum ut non poſſit ſine peccato fieri, legem illam non eſſe legem, nec obligare eos quibus injungitur. Rei enim turpis nullo in caſu datur obligatio. Diſplicet propterea nobis quod habetur in Decreto Gratiani Diſtinct. XIII. cap. duo. *Cum mens inter minora & maxima peccata conſtringitur, ſi omnino nullus ſine peccato evadendi aditus patet* (hoc falſo ſupponitur) *minora ſemper eliguntur.* Ex duobus quidem malis triſtibus minus, ex duobus autem turpibus nullum eſt eligendum.

dum. Ex hactenus ita diſtincte annotatis quæſtionem vulgo doctorum tumultuaria opera tractatam de legum bonitate, an illa de eſſentia legis ſit nec ne accuratius paulo arbitrari poſſumus. Bonitas quidem non eſt de eſſentia legis, cum & inter divinas leges Moſaicas reperiantur leges non bonæ Ezech. 20 ℣. 25. tamen prudentes Eunomiam duplicem ex IV. Polit. cap. 8. commendare ſolent. Una eſt, quando leges recte ſunt poſitæ; altera, quando leges recte obſervantur. Ubi præclaræ ſunt leges & accurate obſervantur, ibi utraque obtinet Eunomia: Quod ſi omnem Eunomiam habere non licet, præſtat poſteriorem quam priorem ſervare. ἔστι γὰρ πείθεσθαι καὶ κακῶς κειμένοις.

§. 49. Iſta ita omnia recte ſe habent, ea autem ſufficientiſſime probari & colligi ex ſequentibus, negamus: Si de eſſentia reipublicæ non eſt ut ſit bona, aut ad publicum bonum ſimpliciter referatur, nec eſt de eſſentia legis. At non eſt de eſſentia reipublicæ, cum non tantum bonæ formæ rerumpublicarum veræ reſpublicæ ſint, ſed etiam malæ. Ergo etiam vera lex eſſe poteſt illa quæ bona ſimpliciter non eſt. Sed ſupponitur ac ſi omnis reſpublica recta, ſit bona, corrupta vero ſit mala: cum de republica bona vel mala non ſimpliciter, ſed habito reſpectu ad populum & locum ſit ſtatuendum, adeoque quædam recta reſpublica, ita uſu Politicorum dicta, poſſit eſſe mala & non juſta, quædam econtra reſpublica corrupta poſſit eſſe bona vel juſta forma. Nec enim id ulla ratione admitti debet, omnem rationem corruptarum rerumpublicarum injuſtam eſſe. A differentia

rentia proinde rectarum & corruptarum rerumpublicarum, ad differentiam bonarum vel malarum legum, argumentum duci nequit. Imo univerſe nec à legibus ad rempublicam, nec à republica ad legum qualitatem argumentari licet. Nulla non eſt, nec eſſe poteſt reſpublica, quæ non ſaltem quasdam bonas leges haberet. Solæ quidem bonæ leges, non autem ſolæ malæ leges, rempublicam conſervare valent.

§. 50. Sit, tertio, lex poſſibilis ſecundum naturam, id eſt ut explicat Franciſcus Suarez, qui omnium accuratius de Legibus ſcripſit, *conſiderata fragilitate & conditione naturæ*, idque ex amica quadam prudentis legislatoris condeſcenſione. Nil homini in hominem licet ultra humanum modum, unde ſequitur, nullam legem, nullam pœnam, debere eſſe ultra humanum modum. Cum præſertim communis conditionis ſeu ſortis & imbecillitatis humanæ, quoties nobis res eſt cum altero, ſemper memores eſſe debeamus. Bene propterea Grotius: *Ferri leges ab hominibus ſolent ac debent cum ſenſu humanæ imbecillitatis*, de Jur. B. ac P. lib. 1. cap. 4. §. 7. quod repetit libro 3. c. 23. §. 5. ſcribens: *Leges humanæ vim obligandi tum demum habent, ſi latæ ſunt ad humanum modum, non ſi onus injungant, quod à ratione & natura plane abhorreat. Et ideo leges & præcepta ſpecialia, quæ tale quid aperte præ ſe ferunt pro legibus haberi non debent: generales autem leges interpretatione benigna ita accipiendæ ſunt, ut caſus ſummæ neceſſitatis excludant.* Addit laudatus Suarez: *Quod etiam Deus ipſe ſuo modo obſervat. Nam ideo non præcipit omnibus virginitatem*

ginitatem ſervare, quia non erat hoc poſſibile ſecundum naturam. Sic etiam lex Canonica non præcipit omnibus feſtis communicare, quia non poſſet digne fieri ſecundum conditionem naturæ, & ſic de aliis lib. 1. de LL. cap. 9. num. 19. pag. 31. Quæ obſervatio etiam interpretationi legum ſervit; cenſendi enim ſunt legislatores, quam minimum voluiſſe recedere à naturali æquitate, prudenter monente Bœclero in Inſtit. Polit. lib. 2. cap. 3. Et hactenus mentem Iſidori de tertio legum requiſito ex parte explanavimus. Omnino enim pluribus aſſerendum, de ratione legis eſſe, verſari circa objectum poſſibile. Poſſe alteram in actionibus humanis facit paginam, quapropter diligenter illud eſt expendendum, præſertim ubi de objecto legis agitur. Cum vero poſſibile multis modis variet, nec facilius diſtinguatur & intelligatur, quam ex eo quod eſt impoſſibile, præcipue cum communiter dicant: Impoſſibilium non eſſe legem, non dari obligationem, idcirco commoda doctrinâ hic repeti poteſt, quid & quotuplex ſit impoſſibile, ut tandem quivis mecum iſta retractans, quale ſit illud cujus dari poteſt obligatio, & quale ſit illud impoſſibile ad quæ non tenemur, arbitrari queat. Abblandiuntur hic ſibi homines, & in excuſationem non obſervatæ legis prætendunt impoſſibilitatem, vel fictam, vel cauſativam, & hac etiam de cauſa prudenter omnia illa ſunt diſcernenda. Diſcernentur, ſi Deus propitius volet, proxime.

❧(o)☙